

409

407

413

403

418

398

458

358

308

Ende

Anfang

394

dicent: cadite super nos, et collibus, operite nos. Ideo non
opertet praecipitare locum, quia, si bonus homo es, angelus
tibi pulcherrimum locum praeparabit, nec sinet te esse, nisi in
loco honorabili. Si malus es, et lapidem posuisti, lapis cla-
mabit contra te, nec quiescendi locus erit iniquo. Stabunt
enim justi in aere miraculose et gloriose; injusti stabunt super
terram in igne, ignominiose et damnose, clamantes et ululan-
tes. De hac valle et ejus nominibus vide fol. 233. A.

Ecce, ex his patet, quam horribilis est locus ille pecca-
toribus.

V. Est locus desiderabilis, propter electorum consolatio-
nem. Nam de monte hoc praecipitabit Dominus mortem in
sempiternum, ut dicitur Esai. 25. Et praecipitabit de eo om-
nes populos a facie vinculi, et faciet suis electis in eo con-
vivium pinguium et medullatorum etc., repulsis improbis. Ea
enim, quae in praedicto capite dicuntur, proprio monti Oliveti
conveniunt, quamvis quidam de monte Syon exponent. Cui
placet, legat idem caput et sequens, et multa videbit, quae
sunt ad propositum praedictorum. Desiderabilis est locus iste,
quia ex eo ascendet Dominus finito iudicio cum omnibus
electis, qui fuerunt ab origine mundi, in coelum.

VI. Est locus imitabilis, propter exempla eximiae devo-
tionis. Stabat enim hic beatissima Virgo Maria in ascensione
filii sui tota gaudio ineffabili perfusa. Stabant et ibi apostoli
plus quam quingentis fratribus, suspensis vultibus inten-
dentes nubibus, et devotissima contemplatione Dominum sequi
optabant. Assistebant etiam ibi angeli, dicentes: Viri Galilaeae,
quid statis etc. Ideo dicitur Lucae ultimo, quod a monte cum
gaudio magno reversi sunt in Jerusalem. Dicitur etiam, et
pie creditur, quod beatissima Maria Virgo post ascensionem
filii singulis diebus locum hunc sanctum adibat, et singulari
hic contemplationi vacabat, seque tota mente ad coelestia
erigebat, ut fol. 174. B. Recitat etiam de quodam milite
(B) peregrino, qui cum omnia loca sancta, in quibus Christus
nostram salutem est operatus, visitasset, ultimo ascendit ad
hunc locum, et procidens super terram in orationem, dicens:
Ecce, Domine Jesu, ubique quaevis te in terra diligentius
et devotius quo valui; nescio, ubi te post hunc locum quaeram

